

dem sed consummatum sermonem, id est, negotium salutis vel justificationis in terram mittet: quod tale est: dum per nos justificari non potuimus, misit Deus filium suum, ut omnis qui credit in eum, habeat vitam aeternam. Job. III. Quemadmodum Deus abbreviatum verbum faciet de perdendo Israele, ita ad salvandum brevi verbo utetur. Ita de Judaeis hoc loco loquitur Paulus, quasi diceret: statuit enim Dominus, qui justitia est, impietatem vestram excindere & consummare. Germani diceremus de indubitato excidio, kurzum/man wird kurze Endschaft mit euch machen/ Libro de Trop. Scripturae pag. 48. Parum vero haec textum ejusque scopum exhauriunt, in quibus nunc de ipso verbo, nunc de justificatione, nunc de excidio unica illa vox exponitur: Imo alibi idem Auctor pag. 491. exponit verbum abbreviatum de Evangelica Lege, de fide in Deum & charitate in proximum per Christum & Apostolos disseminanda: seu summa promissionum divinarum & legis. Non magis ad rem praesentem haec dicuntur. Miras expositiones hujus verbi abbreviati, prout Vulgatus vertit, collectas vide apud B. SCHERZER. in Praef. ad Breviculum Theol.

XIII.

Falsi igitur sunt qui per hunc λόγον συντετμημένον aut Christum, aut verbum in genere, aut speciatim verbum Legis, aut Evangelii, sive comminationes & promissiones, aut earum executionem, sive praemia sive poenas, aut aliud quicquam intelligunt, dum enim λόγος rationes & computum denotat, de quo nunc nullum dubium superesse credimus, nihil aliud, quam rationes accisae, concisae, abbreviatae, subductae aut subtractae intelliguntur: differunt itaque λόγον συντέμνειν & λόγον συντετμημένον ποιῆν, ut antecedens & consequens, neutiquam enim Spiritui S. mos est tautologice loqui: Antecedit siquidem subtractio ipsa, sequitur numerus seu ratio sub-